



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 134. Prælium Gallorum cum Anglis. Talboti obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. CXXXIV.

Sæcul. XV.

A.C. 1453.

*Prælium Gallorum cum Anglis.
Talboti obitus.*

Talbotus hisce victoriæ auspiciis haud *Joa. Chart.*
 contentus, ut ardore militis sui pri- *loc. cit. p. 264.*
 mo successu elati opportune uteretur, ipsa
 castra Gallorum adoriri statuit, falso in-
 census rumore, quo a Castillonensibus
 percepit, Gallos jamjam fugam meditari;
 verum haud parum obstupuit, cum Gal-
 lorum castra adeo munita, eosque ho-
 stem suum intrepido pede excipere para-
 tos inspectabat. Nihilominus in eos ir-
 ruit Talbotus, equo parvo insidens, ex
 quo toto prælio nunquam præ senio de-
 scendit. Jam solidam horam acerrime
 dimicatur, cunctis magno utrinque robo-
 re ac virtute de palma certantibus; sed
 cum prima Gallorum acies pugnae labo-
 ribus nimium fracta esset, opportune il-
 lis Britannia Ducis copiae, quas Hunal-
 dega & Montalbanus duxerant, sufficiun-
 tur, quæ tanto impetu in hostem ir-
 ruunt, ut Angli tandem terga verten-
 tes celeri fuga se subducerent. Talbo-
 tus, primum equo suo amisso & ipse de-
 mum tormenti globo ictus obiit. Hic
 fuit exitus illustrissimi hujus Anglorum
 Belliducis, qui diu præ ceteris omnibus
 majorem Gallis terrorem incussit. Fortu-

Hist. Eccles. Tom. XXVIII. C c næ

Sæcul. XV. A.C. 1453. næ suæ socios habuit Filium suum, Infulam nomine, nec non alios plusquam triginta Anglos Equites, qui cum quingentis, aut ferme suorum sexcentis in prælio occubuerunt. Altera die Castellonium deditioem fecit, mille quingentis præfidiariis militibus captis: ceteræ quoque urbes paulo post in obsequium Regis rediere; vix enim conspectis Gallorum copiis fanum S. Milionis, S. Marcarii castrum, Liburna, Langonia, Villandrasia, Fronsacum, & Castellio apud Medulos Victoribus cesserunt: quas inter tamen postrema civitas quindecim dierum obsidionem sustinuit. Cadillacum quoque præ ceteris omnibus pertinaciore audacia usque ad mensem Octobrem obsidionis impetus elusit, qua die tamen urbs Regis potestati vindicata, ac præfidiarius miles jure belli in captivitatem abductus est, urbis vero Præfectus, Gallardetus nomine, capitis amputatione rebellionis suæ poenas luit.

§. CXXXV.

Burdegalæ obsidio, & deditiois articuli.

Victoriæ cursum sola sistebat Burdegala, quæ urbs alterum jam mensem terra, marique cingebatur. Urbis hujus Præfectum pro Anglis agebat Cadmus, qui